Racc. Villarosa A. 125

CONSTITVTIONES
SYNODALES
PRO NEAPOLITANA DIOECESI


AB EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINO

INNICO

MISERATIONE DIVINA
TITVLI SANCTI CLEMENTIS
PRESBYTERO
CARDINALI CARACCIOLO
IN METROPOLITANA ECCLESIA

PVBLICATÆ

Duobus Feſtiuis diebus Pentecoſtes 10.& 11.
Menſis Iunij. Anno ſalutis 1680.



Romæ, Ex Typograph. Reu. Cam. Apoſt. 1680.

Digitized by Google

527053

Digitized by Google

Fauſtitatis auſpicatio ad Clerum; in Sancti Spiritus aduentu.

SERMO SYNODALIS.

QVid eſt (Eminentiſſime Princeps) quod hodierna hac luce dum prodiga gratiarum fluenta elargitur Spiritus Conſolator, totũ penè dixerim Cœlum in pluuias flammas eliquatur, & igneis linguis eloquitur Deus, non alia voce, quam auræ tonantis ſtrepitu, non ad fauſtæ huius diei nunciandam fælicitatem, ſed potiùs ad terrores, ac minas? Quid eſt (iterum rogo Amantiſſime Præſul, Paſtor, ac Pater?) quod poſt tam auſtera præludia, potiſſimùm hãc celebritatem elegeris ad legum ſanctiones promulgandas, dùm vehementis Spiritus impetu tota Apoſtolorum concutitur domus, horrente ſuos ipſa tremores Natura? Annè antiqua, & rigida nimis terricula Moſaycæ Tabulæ in lege charitatis renouãtur, cũ Cœlo tonãte, feraliq; coruſcãte fulgure in fulminũ iras cõcuſſæ fuerãt nubes, vſq; ad trepidãtiũ montiũ tremores, quaſi ad vindictam, excidiumq; Hieroſolymæ perituræ? Hæccinè benigniſſimi Antiſtitis eloquia magiſtra Charitate, in hac præſtantium Sacerdotum corona, progenie Sanctorum, ſub tam placido Parthenopęo Cœlo! Hæccine Diuini Amoris ſuauitas, poſt mortem ab humanæ ſalutis Reparatore fæliciter vindicatam, toties promiſſa per ſacres Vates: vbi ſperatum, atque ſpiratum Numen non deſcendit quidem in ſpiritu lenitatis, ſed veluti irrequietum tumultuatur in turbine! Quid noui portẽti genus, quæue arcana! Mouet me rei nouitas, vt myſterium explorem tam impenetrabile, quàm diuinum. Amantis Dei ſtratagemata ſunt ad Tartara debellanda hoſtiliter occultata, ſed ſimul ad promouendam Fidelium ſalutem amiciter oculata. Hic tonat, hic fulminat Deus, ſed ipſæ vel minæ in delicias abierunt! O fælix humanum genus? Cum tam ferax ærumnarum ſit hoc mortalitatis ergaſtulum, ſi ipſa etiam mala, prodigioſa metamorphoſi elaborentur ad lucra nunquam defuturæ beatitatis? Hæc tam fælicia omina auſpicor Vobis, Neapolitani Ci-

ues,dum Synodalia ſtatuta,ad normam hodiernæ celebritatis proponam; nè timeatis auſtera, vbi ipſi vel ignes, ac fulmina miteſcunt.

Ingenioſus ad beneficia noua ſemper edidit miracula Diuinus Amor. Naſcente Mundo viſa ſibi fuerat deficere Natura inter vmbrarum velamina, & confuſum Chaos abſcōdita. Quid porrò tunc erat Vniuerſitas rerū, niſi inane ſpatiū,fugacis imaginis ſpectrum,Nihil? Quis indè eduxit hæc ampla cęleſtium Orbium theatra, mundique complexiones omni pulchritudine diſtinctas, rerumque vbertate fœcundatas? *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Super aquas videlicet diffuſa eſt fertilitas Omnipotētiæ habens in theſauris abyſſos. Sed,proh dolor! ſi ab aquis natales hauſit tam perfecta Mundi machina,in aquis tādem experta fuit excidium. Cum flagitijs adulteratum genus humanum tam venuſta ſummi Conditoris opificia deturpaſſet, inopes viſæ ſibi ſunt nubes aquarum, vt Hominum ſcelera diluerent; quamobrem quaſi in pluuias lacrymarum totum Cœlum conuerſum Orbis ambitum vſque ad mōtium cacumina profuſa eluuione tumulauit. Quid tunc? Tandem in noua beneficia ira Numinis ceſſit. Sepulcralibus vndis Orbem iam funeratum, quaſi ab interitu rediuiuum vindicauit hic Prodromus gratiarum. *Adduxit Dominus Spiritus ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ.* Nimirum *diluuium illud virtute inuiſibili repreſſum eſt,* vt loquitur Ambroſius, *Cæleſti operatione nō flatu,cum ſcriptum ſit. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Eſt ergo Spiritus,cuius operationi cedere vniuerſa videntur.*

Gen. 1.

Gen. 8. 1.

Serm. de Noe, & Arca cap. 16.

Pſ. 103. 30.

Verùm enim verò ſi contra aquas triumphauit munifica creantis, & recreantis aura Numinis tam in mundi incunabulis,quam in adoleſcentia,poſt iam reſtitutum genus humanum ad priſtinum Orbis reparari dominium, maiora portenta exhibuit Spiraculum diuinitatis. Quemadmodum res ceciderit, Rogo? Si priùs fertilis beneficiorum fuit aqua,poſtmodū ſummæ munificentiæ ferax euaſit ignis, conſumens ignis, & ignis quidem non ſine formidine violentus. Terrores omnes mutati ſunt in ſolatia. Quoties voluit diuinus ille Legiſlator mores hominum deprauatos ſalutaribus inſtitutionibus informare, non vltrices mortes, ſed minaces metus incuſſit, non aquarum eluuione, ſed tempeſtate flammarum, non vt Hominum proſapiam perderet, ſed vt ſalutariter ſoſpitaret. Fuerant in antiquæ legis traditione aſpectu terribilia tonitrua, & fulmina; Sinæique Montis incenſiones, commotioneſque;

neſque;ſed illa non tam aderant vltionis oſtenta, quàm documenta ſanctitatis in ipſa ſeueritate propitia. Fuerant pariter auſterè placida,& formidoloſè trãquilla, quæ Deus exhibuit ſpectacula,dum iura reſpondit Eliæ, qui ob licentiam, impunitatem, & ſcelera Iezabelis inclamabat ad vindictam Dominum exercituum. Vt leniret tamen Deus æſtuantem zelo Sacri Vatis animum,immiſit Spiritum grandem, & fortem, qui petrarum dura contereret; montiumque profunda ſubuerteret ſonoras expirantem minas. Hæccine blandimenta! Audite Oraculum. *Non in ſpiritu Dominus,& poſt Spiritum commotio; non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis;non in igne Dominus,& poſt ignem ſibilus auræ tenuis*. Nimirùm turbinibus mitis aura ſucceſſit, vt Homines erudirentur ad ignoſcendum, noſcerentque etiam inter terrores mites exigi verbi Dei Præcones. *Docebatur Elias*,ait Irenæus,*turbatior, & concitatior mitiùs agere*.Quod etiam magis eloquenter cõcinnauit Tertullianus, his verbis: *Sedet in throno ſpiritus eius mitiſſimus, atque ſapientiſſimus,qui non turbine glomeratur,non nubilo liuet, ſed eſt teneræ ſerenitatis apertus, & ſimplex,quem tertiò vidit Elias.Nam vbi Deus,ibi. Alumna eius patientia*. O fortunata miracula innocentium minarum! O prodigia prodiga gratiarum! Exod.

At qui ſi Spiritu grandi, & forti, & ad omnẽ formidinem nato,fuit trãquillitatis Auriga æuiterni origo Amoris, in Elia pariter per ignem emolumenta reciproca confinxit tam veniæ,quàm vindictæ:nimirùm *igneus Eliæ currus vnus, atq; idem, & Prophetæ voluptatem tribuebat,& Hoſtibus incendia minabatur*,vt loquitur D.Hieronymus. Mirifica ſodalitate mæſtitiam hylaritati ſociauit Conciliator ille bonorum omnium, vt ſceleſtos Homines percelleret,& Iuſtos permulceret.quod vtrumque cederet in Sanctorum victoriam,atque trophæa.

Attamen quid opus eſt vetera Patrum monumenta peruoluere,ſi mitigato antiquæ legis rigore noua Hominibus iura ſtatuit legifer Deus? Fuerit olim ſumma in iure dicendo ſeueritas, nunc fœderata amicitia iunguntur lenitas, & rigor. Vos prouoco ad Apoſtolorũ limina, Apoſtolici muneris Hæredes. Ibi videbitis fæliciſſimo profundi in terras nimbo flammarum ſcintillantem Diuinitatem. Non ibi vltricia fulmina diſploſurus ſonitus Cælitum iras, terrarumque clades immurmurat, ſed ignes ſine vulnere prænunciat innocentes. Siſtite hic parumper Auditores optimi: nam ſolamen inſolitũ nimis objicitur contemplandum. Quid miſſiles illæ flammæ in linguas acuminatæ portendunt? Quì fieri poſſit, vt ignis

natiuæ

natiuæ leuitatis oblitus cęli ſuprema deſerat,& ima terrarum colat? An terra protinùs in Cœlum conuerſa credatur, dum præpoſtero Naturæ ordine flamma deſcendit, flamma inquã ad ſtellarum conſortium nata, atque procliuis? Ita eſt; ait Diuus Chryſoſtomus, *dum effuſa copioſa gratia Spiritus Sancti vniuerſum Orbem operata eſt Cœlum, non immutans naturam, ſed voluntatem emendans.* Huc ſpectat, quod ſacrum Oraculum ſpopondit mortalibus; *Ego dixi Dij eſtis, & Filij Excelſi omnes.*

Serm. de Pentec.

Pſalm. 87. 6.

Dixeris etiam in hoc Cœlo ſua non deeſſe ſydera, & ea quidem illuſtriora, dum pro ſtellis coruſcant ipſæ ſcintillæ Diuinitatis. Notate tamen, Auditores, ignotas rerum viciſſitudines. Cadent de cęlo ſtellæ ad commune perituri Mũdi funus, quaſi Præficę lugubres Mortis. Verumtamen hic cadunt vitales ignes ad ſalutare Mundi renouati principiũ, vbi ipſe Deus impluit in flammas. Tunc diſrupta irruent Cęleſtis machinæ fundamenta; nunc Cęli cardines recluduntur, quà aditus pateat ad ſuperna Cęlituum conclauia. Sed cur in flammas acuminantur linguę? Igneis linguis eloquitur Diuinus morum Magiſter; nam tritum eſt nimis ſermone prouerbium; ardeat Orator, vt Auditores inflammet. Attamen hic longè maius adeſt prodigium ardoris. Non modo inflammat, ſed efficit Oratores, & Oratores quidem, qui linguis loquerentur Omnium. Cedant Oraculis fabulæ, dum cęlo deducunt ignem, non Promethei fabuloſi, & dum omnibus omnia facti ſunt, non Prothei mendaces. Apoſtolicos Pręcones audiebat vnuſquiſque lingua ſua loquentes. *Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitãt Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum; & Aſiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Aegyptum, & Partes Lybiæ, quæ eſt circà Cyrenen, & Aduenæ Romani. Iudæi quoque, & Proſelyti, Cretes, & Arabes audiuimus Eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Hieroſolyma euaſit Orbis compendium, & ſuburbium Cœli. Galilæi facti ſunt multiplicis eloquentiæ Præſides in Cęleſtis gloriæ Athenæo. Verùm cur ipſe Dei ſermo, qui in ſacris litteris perhibetur omni gladio ancipiti penetrabilior, nunc in flammis excandeſcit? Dicam; non alia planè de cauſa, niſi quia iam non amplius ferri durities ſæuit, ſed ferrea ſæcula receſſere. Armatur ferrum ad vulnera, & ſęuit ad vindictam; ſed ignis iſte, dum corda penetrat, alit ad veniam, & ad ſalutem, vitale flamen ſimul & alimentum.

Act. 2.

Ad Hebr. 4. 12.

Quorſum collineet Oratio mea, probè conijcitis, Auditores. Simulacrum propoſui fauſtę halacritatis voluptuoſè terribilis, vt ſitis Apoſtolici ardoris conſortes hæc inter fęlicia flam-

flammarum eloquia,quę nouo amoris magiſterio corda inflā-mant,menteſque erudiunt ad ſalutem. Nouas leges,hoc magiſterium edoctus proponet veſtri amantis Antiſtitis clemētia, vt Vobis ſalutare patrocinium deſpōdeat, Vobiſque Cœleſte patrimonium fortunet Diuini Spiritus afflatus. Æſtum temperabit recreans cęlitus emiſſi flaminis euentilatio, dum ferrea criminum durities emollitur. Audite Bernardum ſui oris mellificio Cęleſtibus his moribus blandientem. *O bona charitas, quæ ſiuè foueat Infirmos, ſiuè exerceat Prouectos, ſiue arguat Inquietos, Diuerſis Diuerſa exhibēs, ſicut Filios diligit Vniuerſos. Cum te arguit mitis eſt; cum blanditur ſimplex. Piè ſolet ſæuire, ſine dolo mulcere; patiēter nouit iraſci, humiliter indignari.* Neque aliter bonus Princeps iura ſtatuit (ſubdit Rupertus) quā ſi in Alterum iram, in Alterum clementiam oſtendat: nam ſicut clementia honor eſt Principis, ſic & honor iudicium diligit. Etenim vbi totum punitur Regia crudelitas polluitur; vbi verò totum remittitur facies Maieſtatis ſine metu diſciplinę contemnitur. O mites iras! ò placidos impetus! ò tranquillas tempeſtates! ò recreans incendium, per quę Mundus beatur!

Epiſt. ad Fulconem.

Serm. 8. in Geneſ. c. 37.

Quid ſupereſt tandem in calce huius inauguratę fauſtitatis (ò Neapolitanę Eccleſię decora, Apoſtolorū germina, ſanctimonię Candidati) niſi vt gratuler Vobis tam cara principia, & Vos gratificemini Cęlo in pluuiam flammarum tempeſtatem eliquato! Morigerandum eſt Diuini Eloquij linguis, & Amantis Præſulis mandatis, qui has vicarias Dei pręfert linguas in tam pręclaro cœtu Sacerdotum. Satagite Ardentes animarum Paſtores, has linguas induite. Hoc igne abſumite ſcelerum colluuiem Cœleſtis verbi Præcones. Hoc impetu concutite Inferorum limina piacularibus Sacramentis ſacroſancti Miniſterij Præſides. Extinguat stygios ignes cęleſte incendium. Succumbāt Tartara, vbi triumphat Cœlum; ſileant Dœmones, vbi eloquitur Deus. Et Ego ſileo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Officiales Synodi.

Promotor Ioſeph Rodoerius V.I.D.) *Metropolitanæ Ec-*
Secretarius Nicolaus Gilibertus V.I.D.) *cleſiæ Canonici.*
Theologus P.Ioſeph Imperialis Soc.Ieſu Sac. Theologiæ Lector.
Magiſtri Cærimoniarum D.Raphael Sati.) *Eiuſdem Metropolitanæ Ec-*
D.Ioſeph de Stefano.) *cleſiæ Hebdomadarij.*
D.Franciſcus Volpicella.)
Notarius Ioſeph Preti Curiæ Archiepiſcopalis Actorum Magiſter.

Examinatores Synodales.

Tobias Carolus Campanile S.T.D.) *Canonici Cathedralis*
Ioannes Franciſcus Bambace S.T.D.) *Eccleſiæ.*
Antonius Venetia Pænitentiarius S.T.D.)
P.D.Petrus Giſolfo Congregationis Piorum Operariorum S.T. Prof.
D.Franciſcus Staybanus S.T.D.
P.Carolus Lombardus Congregationis Oratorij S.T.Profeſſor.
D.Franciſcus Verde S.T. & V.I.D.
P.D.Angelus Piſtachius Clericus Reg. Theat. S.T.Profeſſ.
P.Ioſeph Imperialis Societatis Ieſu S.T.Lector.
P.Franciſcus Guarinus Soc. Ieſu S.T.*Lector.*
P. D. Felix Ronchi Congreg. Cleric.Regularium S. *Pauli* S.*T.Profeſſ.*
P.D.Thomas Caracciolus Congregationis Caſſinenſis S.*T.Lector.*
P.D.Bonifacius Themignus Abbas Oliuetanus S.*T.Lector.*
P.Nicephorus Sebaſtus Ordinis Eremit. S.*Auguſtini* S.*T.Magiſter.*
Fr.Bonauentura de Alexandro Minorum Conuentualium S. *T.Mag.*
Fr.Franciſcus Alphanus Ordinis S. *Mariæ de Mercede S.T.Prof.*
Fr.Dionyſius à S.Andrea Carmelit. Diſcalceat. S.T.Prof.
D.Petrus de Felice S.T.& V.I.Doct.
P.Laurentius Serlupi *Congreg. Oratorij* S.*T. Prof.*
*P.D Oratius Buonfiglioli Canonicus Reg.*S.*Petri ad Aram S.T.Prof.*
P.D.Ioſeph Miroballi Clericus Regularis S.*T.Profeſſ.*
P.Laurentius Parenti Congregationis S.*Birgittæ* S.*T.Profeſſ.*
P.Petrus Paulus Carideus Cler. Regul.Miniſtrantium Infirmis S *T.P.*
P.D.Hieronymus de Franco Baſilianus S.*T.Profeſſ.*
Fr.Dominicus Maria Marcheſe Ordinis Prædicatorum S.*T.Magiſt.*
P.Antiochus Zuccaro Ordinis Minimorum S.*Franciſci de Paula* S. *T. Lector.*

Placent.

Iudi-

Iudices Synodales.

Hieronymus Balſamo V.I.D.
Nicolaus Gilibertus V.I.D.
Ioſeph Rodoerius V.I.D.
Dominicus Menna V.I.D.
Marcus Antonius Borrellus V.I.D.
Fuluius Criuelli V.I.D.
Nicolaus de Luca V.I.D.

} *Canonici Metropolitana Eccleſia.*

Placent.

Digitized by Google

DECRETA SYNODALIA.

In nomine Sanctiſsimæ, atque Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

NOs Innicus miſeratione Diuina Tit. S. Clementis, S.R.E. Presb. Card. Caracciolus Archiepiſcopus Neapolitanus, quartam hanc Synodum, diuina inſpirante gratia, & ſub patrocinio SS. Antiſtitum huius Ciuitatis, & præſertim Diui Ianuarij Patroni, conuocari decreuimus, vt Eccleſia hæc noſtra, quæ olim ſanctiſſimis inſtitutionibus à Maioribus conſtructa, & ſucceſſiuè ſemper reparata, atque munita fuit, ſi qua ex parte rimas, aut ſciſſuras, vllamue labefactationem paſſa fuerit ob deprauatos Hominum mores, atque Tartarei Hoſtis inſidias, prouidè, ac tempeſtiuè ſarciatur. Et quamuis animus noſter ad Chrſti Domini exemplum, qui iugum ſuaue, & onus leue Chriſtianis impoſuit, potiùs ſemper in clementiam, & benignitatem, quam in grauamen, & rigorem pronus abhorruerit à legum multiplicatione, & ſeueritate; attamen cum plurima Prædeceſſorum noſtrorum, & præcipuè Prouincialis Synodi ſtatuta, vel in obliuionem abierint, vel in corruptelam degenerauerint, ea certè hoc tempore in priſtinum reducere, atque inſtaurare, pro conſcientiæ noſtræ munere, & ardenter cupimus, & ſeuerè ſatagimus. Paucas igitur has Synodales cōſtitutiones, Omnibus, ac Singulis ſtrictè, & ſine tergiuerſatione indicimus obſeruandas.

De Feſtis diebus, & Eccleſiarum veneratione.

DECRETVM PRIMVM.

IN Prouinciali Synodo, tam ſedulò, quam ſanctè Parochis fuit diligentia commendata populum admonendi, adhortandique, vt Patresfamilias; ac Mātres curent Puellas nubiles Eccleſias adire, feſtiſque diebus Sancto Miſſæ Sacrificio intereſſe. Vtrùm Parochi ſuo hoc munere fungantur, non ſatis compertum eſt; illud tamen cum ſit notiſſimum, atque admodum abominabile, minimè tolerandum duximus; non ſolùm hoc tempore Puellas nubiles, ſed Sponſas, ſed Viduas intrà annum viduitatis, quinimò Famulas, aliaſque cuius vis conditionis Mulieres ſub emendicato prætextu,

aut honeſtatis, aut conuenientiæ, aut conſuetudinis, ſeù potiùs corruptelæ, cum maximo certè ſcandalo,& pernicie animarum ab Eccleſijs ſuapte interdici, & à Sacris prohiberi in feſtis. Sic vtinam Patresfamilias inuigilarent, vt filiæ, ac famulæ intrà domeſticos parietes clauſæ, non curiosè in feneſtris, non liberè in atrijs, aut apricis domi proſpectibus, non vanè in ornatu tererent feſtiuas horas diuino cultui deſtinatas. Vt igitur tam graui ſcandalo maturè occurratur, præcipimus vniuerſis Parochis, vt cautè, ac feriò moneant Tranſgreſſores, & vbi feria admonitio nõ proderit, ad Nos pro opportuno remedio recurrant. Inſuper omnes Confeſſarios, & Concionatores hortamur, vt ſæpè tam deteſtabilem abuſum acerbis obiurgationibus increpent, ſtudeantque emendare. Si quem verò Confeſſarij ipſi depræhenderint, qui ſine legitima excuſatione tales perſonas ab audienda miſſa auerterit, non facilè illum abſoluant, nec ſine graui pœnitentia dimittant.

DECRETVM SECVNDVM.

CVm Sanctiſſimus Dominus noſter Innocentius XI. ſub die 23. Settembris anno 1679. pro ſuo ſummo zelo,& paterna prouidentia valdè ſalutare Edictum Romæ protulerit, ad Diuinum Cultum, & Venerationem Eccleſiarum promouendam, in quo expreſſit, atque innouauit antiquam conſtitutionem Fęlic. Recordat. B. Pontificis Pij V. in Bulla, quæ incipit *Apoſtolatus Officium*, Nos pariter ijſdem veſtigijs inhærere, & tantorum Pontificum ſanctiones in Diæceſi noſtra pro muneris obligatione, qua fungimur, neceſſarium duximus, ac proindè infraſcripta præcepta in memoriam reuocamus.

Primò, vt Nullus in dictis Eccleſijs ſeditionem faciat, tumultus excitet, clamores moueat, impetumque committat.

Secundò, vt ceſſent vana, fœda, & prophana colloquia, riſus immoderati, ſtrepitus Iudiciorum, aliaque omnia, quæ diuina officia perturbare poſſunt.

Tertiò, vt Nullus intrà Eccleſiam deambulare, aut indecenter ſedere, tergo ad Sacramentum verſo, audeat, ſiuè vociferari, ſiuè aliud, quod ſcandalum generet, facere præſumat, non ſolùm dum diuina officia, & ſacra miſſarum myſteria peraguntur, ſed alio quocumque tempore, quo irreuerentia, & indecentia timeatur. Mandamus igitur omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Cuſtodibus, atque Præfectis iuxtà tenorem

Apo-

Apoſtolici diplomatis,vt Delinquentes increpent, & admoneant, atque in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ſi admonitiones temerè cõtempſerint, vt ad Nos deferant ipſorum nomina, vt præter diuinæ vltionis acrimoniam, quam incurrent, promeritis pœnis ad normam Pontificiæ Conſtitutionis puniantur.

B. Pius V. in conſt. 5, quæ incipit Cum primum Apoſtolatus Officiũ *§. 4 vt in Bullar. tom. 2.*

DECRETVM TERTIVM.

IN eadem B. Pij. V. Conſtitutione, quam nouiſſimè confirmauit SS. Dominus Noſter Innocentius XI. acriter commendatur Pauperum mendicantium per Eccleſias excurrentium abuſus, qui adeò excreuit hac tempeſtate, vt ceſſerit in maximam Sacrorum perturbationem, animarumque detrimentum. Nos idcircò vt tam ſalubria præcepta omnibus Eccleſiarum Præſidentibus ſub grauibus pœnis, etiam Regularibus iniuncta, debitæ exequutioni mandentur, diſtrictè ſtatuimus, vt Nullus audeat ea tranſgredi ſub mentito prætextu deſuetudinis, aut conſuetudinis in contrarium.

In eadem Conſtit. 5. 5.

Vt verò tam Sanctum præceptum exequutioni faciliùs mãdetur, valdè expediens foret, vt Fideles ipſi, dum in Eccleſijs orant, aut Sacris interſunt, conſtanter tales eleemoſynas denegarent, eaſque opportuniùs reſeruarent elargiendas ad Eccleſiæ fores. Si enim religiosè arceantur Pauperes ab Eccleſijs, nè diuina perturbent, atquè malum reputatur eleemoſynas emendicatò expoſcere in loco ſacro, pium etiam credendum eſt hanc ſcandali occaſionem amouere; nam, vt monuit Nicolaus Papa, *Pietatis cauſa operari impietas non debet*, & vt D. Gregorius in propoſita materia ait. *Aliud eſt propter peccata Eleemoſynas facere, aliud propter Eleemoſynas peccata committere*, aut, quod idem ferè eſt, peccati occaſionem fouere.

c. Noſſe deſiderans 30 q. 1.
c. Non eſt 1 q. 1.

DECRETVM QVARTVM.

NVllo modo permittant Parochi, Rectores, Præpoſiti, Gubernatores, Magiſtri, aut quocumque nomine appellentur, Eccleſiarum Adminiſtratores, ſeù Præfecti, vt intrà Eccleſias, vel in ſeptis, porticibus, atrijs, &c. Baſilicarum, Monaſteriorum, Templorum, Oratoriorum, &c. vendantur dulciaria, bellaria, aut cuiuſcumque generis edulia, & merces, ſiue pro ludibrijs puerorum, & tympanis puellarum, ſiue pro alio communi vſu, ad morem nundinarum. Multòque

minùs

Digitized by Google

minùs id liceat ijs; qui publicè venalem aquam niue refrigeratam cum magna Sacrorum indecentia, per Eccleſiam tranſcurrentes, & ſæpè clamantes, aſportant. Quæ omnia prohibita cenſeantur huiuſmodi Venditoribus, ſub pæna excommunicationis; & Eccleſiarum, vt ſuprà, Præſidentibus, ſub pæna interdicti Eccleſiæ, alijſque ad arbitrium ſtatuendis. Et quia Sacra Congregatio Cardinalium, Epiſcopis, & Regularibus præpoſita, de mandato Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. die 21. Iulij anno 1679. ſuis ſpecialibus litteris hoc idem Nobis commiſit præcipiendum circà Eccleſias, & Monaſteria Regularium; idcircò exemplum talium litterarum huic Synodo inſerere placuit omni futuro tempore valiturum.

Foris. *All'Eminentiſs. & Reuerendiſs. Sig. mio Oſſeruandiſs. Il Sig. Cardinal Caraccioli Arciueſcouo di Nap.* Intus verò. *Eminentiſs. e Reuerendiſs. Sig mio Oſſeruandiſs. E' peruenuto à notitia della Santità di N. S. che in coteſta Città vi ſia l'abuſo, che ne'Conuenti de Regolari, quando ſi ſolennizzano le loro feſte, ſi vendono dentro li chioſtri, atrij, cortili, ſcale, e luochi, che godono l'Immunità Eccleſiaſtica, robbe comeſtibili, & altre merci ad vſo de mercati, e che in tale occaſione vi entrino anche Donne nelli chioſtri, il che cagiona molti inconuenienti, sì per l'ingreſſo delle Donne nella clauſura, come per la publica contrattatione di robbe ne' giorni feſtiui, & anco per il gran ſtrepito, che in tale congiuntura ſi fà, impeditiuo degli officij Diuini, e per lo ſcãdaloſo concorſo di perſone disboneſte, più per mal'affare, che per deuotione. Onde Volendo ſua Beatitudine rimediare à tali inconuenienti, mi hà commandato di ſcriuere à V. E, che conforme giuridiche tolga, & impediſca sì fatto abuſo, anco con l'autorità ſpeciale, che à queſto effetto ſe le communica dalla Santa Sede. Lo ſignifico à V. E. per comandamento eſpreſſo di N. S. e li baccio in fine humilmente le mani; Roma à 21. Luglio 1679. Di V. E. humiliſs. & affettionatiſs. ſeruidore G. Cardinal Carpegna G. B. Arciueſcouo di Genoua Secretario.*

Volentes igitur quoad Nos ſpectat fideliter exequi huiuſmodi litterarum tenorem, & quantùm ibi Nobis iniungitur de mandato Sanctiſſimi, per hanc Synodalem Conſtitutionem præcipimus, & expreſsè prohibemus, nè in clauſtris, xyſtis, atrijs, ambulacris, dormitorijs, ſchalis, quibuſue alijs locis immunibus Monaſterium Regularium, & præcipuè cũ ſolemnes feſtiuitates celebrari contigerit, vendantur res comeſtibiles, aut aliæ merces ad vſum nundinarũ, & nè audeant Fœminæ ſepta Regularium ingredi, ſub pœna priuationis ab offi-

o fficio, atque vocis actiuæ, & paſſiuæ Superioribus Religionum, ſeù Monaſteriorum, aut Conuentuum, qui id permiſerint, & Mulieribus ſub pœna violatæ clauſuræ ipſo facto incurrenda, ſi ea clauſtra ingredi auſæ fuerint.

DECRETVM QVINTVM.

NE quis perperam putet, vel decipiatur Mulieribus, quandoque concedi facultatem ingrediendi Clauſtra Regularium ſub aliquo prætextu, etiam pio, inſerendum hic eſt Sacræ Congregationis Cardinalium Reſponſum ſuper indulgentijs latum ſub die 2. Maij 1679. his verbis. *Propoſito dubio, an verba Pontificij Breuis concedentis Indulgentiam Omnibus vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus cappellam intra clauſtra Regularium ſitam viſitantibus, ſic accipi poſſint, vt comprehendant Cappellam in ipſo dormitorio conſtructam, Sacra Congregatio reſpondit, minimè illam comprehendere, nullamque tribui facultatem Mulieribus ingrediendi clauſtra. Datum Romæ die 2. Maij* 1679. *A. Cardinal. Homodeus. Michael Angelus Riccius Sac. Congregationis Secretarius.*

DECRETVM SEXTVM.

AD cultum, & venerationem Eccleſiarum pariter conducit, quod idem Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. ſpecialibus litteris iuſſit Nobis iniūgi circà inuitationes in feſtis celebrandis, & fores Eccleſiarum ante ſignum ſalutationis angelicæ in veſperis occludendas, quod nè in obliuionem labatur, ſatiùs duximus Synodali Statuto firmare.

Foris. *All'Eminentiſs. & Reuerendiſs. Sig. mio Oſſeruandiſs. Il Sig. Cardinal Caracciolo Arciueſcouo di Napoli.* Intus verò. *Eminentiſs. e Reuerendiſs. Sig. mio Oſſeruandiſs. Eſſendo peruenuto à notitia di N. S. che nelle Chieſe di Regolari, & in quelle de' Monaſterij di Monache di coteſta Città nell'occaſione delle feſte, e dell'altre funtioni, che vi ſi celebrano, & particolarmente di dare l'habito, ò vero il velo alle Nouitie, ſi faccino gl'inuiti dell'vno, & l'altro ſeſſo da medeſimi Religioſi, ò vero da Secolari, con pompa indecente all'oſſeruanza; e modeſtia religioſa, come anche ſi tenghino aperte le Chieſe di notte. E ſtimando S. Santità col parere d'vna Congregatione particolare à tale effetto deputata, che ciò ſia molto ſconueniente, e che in niun modo ſi debbia permettere, mi hà però commandato Sua Beatitudine di cõ mettere à V. E. che in ſuo nome, e vece, e con la ſua autorità, che*

à tal'

à tal'effetto ſe le communica, non permetta, mà eſpreſſamente prohibiſca il far gl'inuiti nelle ſudette Chieſe de Regolari, e di Monache, anche eſenti di qualſiuoglia ſpecie d'eſentione, quantunque ampla, ſpeciale, e priuilegiata, in qualunque modo, e per qualſiuoglia occaſione, ſenza eccettione alcuna di Perſone di qualunque ſtato, grado, e dignità, benche fuſſe neceſſario di farne ſpecial mentione. E che le medeſime Chieſe ſi debbiano chiudere affatto all'Aue Maria, & anco per qualche ſpatio auanti, in modo che dopò l'Aue Maria non vi ſia ingreſſo, ò dimora di qualunque perſona, ſotto pena di ſcommunica lata ſententia ipſo facto incurrenda, riſeruata à S. Santità, & à V. E. ſolamente. Si che niun priuilegio, ò facoltà, quantunque amplo, & ampliſſimo, e degno di ſpecial mentione ſuffraghi. Et anco à Superiori Regolari dell'vno, e dell'altro ſeſſo, della priuatione dell'officio, e della voce attiua, e paſſiua, con facoltà ancora di porre l'Interdetto nelle medeſime Chieſe, & di prendere altre prouiſioni, che all'E. V pareranno opportune; communicandoſele da Sua Santità à queſto effetto ogni facoltà neceſſaria, & opportuna. Lo ſignifico però à V. E. per ordine, & in nome di Sua Beatitudene, acciò reſti ſeruita inuigilare ſopra l'oſſeruanza; e li baccio per fine humilmente le mani. Roma 22. Gennaro 1677. Di V. E. humiliſs. & affettionatiſs. Seruidore. Il Cardinal Gaſpare Carpegna. G. B. Arciueſcouo di Genoua Secretario.

Synod. Prouin. ſub tit. de miſſ. celebrat.

Demùm perſpicientes finem harum litterarum, & mentem Sanctiſſimi Pontificis eò collimare, idquè intendere, vt nocturna ſcandala, quæ fortè in Eccleſijs comitti poſſent, euitentur, idem præceptum extendimus ad antelucanas noctis horas, vt nullo modo liceat aperire portas Eccleſiarum ante clarè diluceſcentem auroram, præſertim ſi fœminæ admitti debeant, vel ad audiendam miſſam, vel ad Confeſſiones excipiendas.

DECRETVM SEPTIMVM.

Synod. Prouin. ſub tit. de celebrat miſſ

INdecorum maximè, imò non rarò ſcandaloſum, & certè ſemper impedimentis Sacrorum obnoxium, eſt, Laicos, & preſertim fæminas, Celebrantem Sacerdotem circumſiſtere propè altare. Curent proindè Sacriſtæ, aut omnes ij, qui Eccleſijs præſunt, vt ſcabello aliquo ſiuè ſcamno interpoſito, Populus ab eodem Altari, & à Celebrante diuidatur; ſub pœnis ad arbitrium infligendis contrà eoſdem Sacriſtas, aut Eccleſiarum Rectores, ſi hoc minimè præſtiterint.

DE

DE ORATORIIS PRIVATIS.

DElatum fuit ad aures noſtras, nec ſine animi offenſione, ſæpiùs contingere, vt ij, qui priuati Oratorij conceſſionem Pontificio diplomate impetrarunt, poſtquam prima vice in ſua Domo, de licentia noſtra, in loco à noſtro Generali Vicario viſitato, & approbato, Capellam, & Altare conſtituerunt, ſi in aliam Domum transferantur, ibi, nouum Oratorium erigant ſponte propria, ſine vlteriori reuiſione, & quod peius eſt, ſæpè cum indecentia tam loci, quàm modi. Cum autem id ſit contra tenorem Apoſtolici reſcripti, & alias in Conſtitutionibus Synodalibus ſeuerè prohibitum, Nos etiam hic ijſdem pœnis damnamus, interdicentes Oratorij ſic conſtructi vſum, ibique Sacerdotes celebrantes ipſo facto à diuinis ſuſpendentes.

In Synod. Cardinal. Filomar anno 1651. decret. 8.

De Immunitate Eccleſiaſtica.

NOn ſolùm Immunitatem Eccleſiaſticam, fulmine excommunicationis latæ ſententiæ Bulla in Cæna Domini legi ſolita, ſeueriſſimè vindicauit à Iudicum attentatis, qui traxerint Perſonas Eccleſiaſticas ad forum Sæculare, ſed Synodalia decreta anni 1644. eadem excommunicatione perculerunt, non ſolùm ipſos Iudices, ſed quoſcunque alios, ſiuè Laicos, ſiuè Clericos, qui vel prouocauerint, vel quocunque alio modo traxerint ad laicale iudicium Perſonas Eccleſiaſtica exemptione fruentes. Cum autem iam cautum illud ſit, vlteriùs idem Synodale ſtatutum extendimus ad eos, qui notoriam Eccleſiaſticam Perſonam, etiam indirectè, traxerint ac Forum laicale.

Card. Filomar in Synod. 1644 decr. 2. in tit. d Immunit. Eccleſ.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

QVæ ad mores Clericorum probè conſtituendos pertinent, tot, & tam ſalutaribus monitis, atquè præceptis tam multoties inculcata ſunt in andecedentibus Synodis, vt ſuperfluum nobis viſum fuerit noua grauamina imponere, quò meliùs antiqua ſtatuta memorentur, & obſeruentur. Accidit enim non raro ob humanam malitiam in laxitatem pronam, vt dũ noua inuehũtur, vetera obſoleſcant, & ea quidem, quæ maioris momenti ſunt, magiſque faciunt ad Eccleſiaſtici muneris ornamentum. Igitur quæ per Sacros Canones

C nes

nes in hac parte, quæ per Synodales Conſtitutiones abundè ſtatuuntur, circà honeſtatem, morumque probitatem in Clericis, hic repetita cenſeantur, vt dum nihil exprimimus, totum comprehendamus. Et profectò quam ſordidum foret, ſi Regale Sacerdotium, genus electum, gens Sancta, degenerem vitam ipſis etiam laicis deteſtabilem duceret, cum non modico ſcandalo, & Clericalis ordinis dedecore.

De Sacramentis, & Sacramentalibus, eorumque Miniſterio, atque ornatu.

QVæ ad omnium Sacramentorum miniſterium, & ſuſceptionem, atque decentiam faciunt, ſpecialiter in ſuperioribus Synodis, prò quolibet particulari Sacramento abundè expreſſimus. Illa autem ſi quouis modo in deſuetudinem abijſſe ab aliquibus perperam exiſtimentur, hoc loco repetita, atque iterum innouata intelligantur, ac ſi de verbo ad verbum præſenti huic Synodo inſerta forent. Pauca tamen hic memorare, aut ſuperaddere par eſt, quæ efficaciori remedio indigent.

DECRETVM PRIMVM.

PArochis multoties fuit iniunctum, vt diebus feſtiuis per totam Quadrageſimam moneant Parochianos ſuos, tempus præcepti Paſchalis, & annuæ Communionis eſſe contractum à Sacris Canonibus intrà quindecim dierũ ſpatium, videlicet à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſiuè, neque vlteriùs extendi. Nihilò tamen minùs adhùc conſpicamur plures, & plures in Ciuitate huius præcepti, aut ignaros, aut immemores, aut etiã contẽptores; quod certè nõ nihil Parochorum incuriam, deſidiamq; arguit. Si enim illi in Eccleſijs, dum miſſas celebrant, ſi in priuatis familijs, antè Paſchalia feſta, dum domos benedicendo percurrunt, ſæpiùs memorarent, commendarentque ſupradicti præcepti obſeruantiam, non cerneretur tam frequens tranſgreſſio. Satiùs profectò foret expurgare cõſcientias ouium ſuarum à peccatis, quam à Dęmonum infeſtationibus materiales ædes aqua luſtrali, potiùs cum zelo, quàm cum lucro. Declaramus tamen non comprehendi intrà terminum dierum quindecim eos, qui fuerint legitimè impediti.

DE-

Digitized by Google

DECRETVM SECVNDVM.

MAndamus pariter (nè quis decipiatur putans extendi paſchale præceptum, vſque ad Dominicam Aſcenſionem, aut ad Paſchalia feſta Pentecoſtes, ex eo, quod videat teſſeras Communionis diſtribui vltrà eos quindecim dies in noſtra Cathedrali Eccleſia), vt in poſterum diuerſimodè impreſſæ diſtribuantur huiuſmodi ſchedulæ, nimirùm, vt quæ intrà quindecim præſcriptos dies percipiuntur, abſolutè teſtētur cōmunionem peractam; at verò illæ, quæ poſt eos quindecim dies conceduntur, referant hæc verba, (*Communicatus poſt tempus præcepti*.) quò faciliùs animaduerti poſſit, an aliqua legitima cauſa detenti fuerint à tempeſtiua, & debita Communione Tranſgreſſores.

DECRETVM TERTIVM.

QVò Sanctè, pœnitentiæ Sacramentum adminiſtretur, præcepit Prouincialis Synodus, vt nullus Sacerdos confeſſionibus noſtrorum Subditorum expoſitus, vel approbatus, vllo quæſito colore petat, vel exigat à Pœnitentibus pecuniam, vel aliud temporale lucrum, ſiuè prò pœna iniuncta, ſiuè res ſit reſtitutioni obnoxia, ſiuè pro cōmutatione votorum, ſiuè prò miſſis celebrandis. His tamen non obſtantibus dolentes audimus, nonnullos Confeſſarios adhùc miſſas imponere cum onere, vt eleemoſynas prò ea celebratione miſſarum ſibi ipſis applicent. Cum autem hoc deteſtabilis auaritiæ ſuſpicionem redoleat, omninò reſecandum eſſe duximus, ita vt in tali caſu Pœnitētes huiuſmodi pœnitentiæ debitum, nūquam ijs Confeſſarijs, qui tales eleemoſynas prò miſſis exegerint, ſed alijs Sacerdotibus prò ſuo libito elargiantur.

Synod. Prou. tit. de Sacram. Pœnit. §. 7.

DECRETVM QVARTVM.

AD euitandas fraudes, & ſacrilegá furta, quæ fortaſſe contingere poſſent in Sacramentalibus propter impiam ſceleſtorum hominum nequitiam, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ Parochis, vt claues baptiſterij retineant apud ſe, nullique Clerico conſignent, niſi aliquando neceſſitas exigat in eorum defectu, vt ope Coadiutoris ad baptizandum vtantur. Cæterùm hoc multò magis diſtrictè præcipimus circà Claues arculæ, ſeù cellulæ, vbi reconditur ſacrum Oleum

pro Infirmis, quas etiam curent forti feneſtella muniri, nè facilè aperiri poſſint, tam ipſi Parochi in ſuis Eccleſijs,aut Sacriſtijs, quam extrà Parochias alij quocunque nomine nuncupentur Eccleſiarum Gubernatores. Sciant proindè omnes, quibus hoc onus incumbit, quod ſi aliquando contingat ad noſtrum tribunal defferri inquiſitionem circà furta ſacrorum chryſmatum, Nos præcipuè contra ipſos, tamquàm desides Cuſtodes, inquiſituros.

DECRETVM QVINTVM.

Benedictio ouorum, aliorumque comeſtibilium Paſchali tempore, ex decreto S. Congregationis Rituum, omninò ad Parochos Spectat, nequè ab alijs, aut in alis Eccleſijs permitti debet, eaquè omninò iuxtà formam ab Eccleſia præſcriptam facienda eſt, vt Eccleſiaſtici Ritus debitè perſoluantur, & vnicuiquè ius ſuum tribuatur. Si quis autem quidquam in contrarium attentare præſumpſerit, pœna ad noſtrū arbitrium ſtatuenda mulctabitur, niſi id egerit alius Sacerdos de eiuſdem Parochi licentia. Verùm benedictio prædicta fiat antè fores Eccleſiæ,& nunquam in publica via.

De Monialibus,Earumque Eccleſijs.

DECRETVM PRIMVM.

Aliàs ſæpè, etiam per Synodalia ſtatuta, Moderatricibus Monialium iniunctum fuit, ſub grauibus pœnis, vt nè dùm veſpere poſt ſignum Angelicæ ſalutationis, excludant omnes exteros, foribus quibuſcunquè occluſis; verùm etiam, vt id circà crates exequantur pomeridianis horis per æſtatem, videlicet à Kalendis Maij, vſquè ad finem menſis Septempris, ità vt à meridie, vſquè ad veſperas, non liceat aperire crates prò collocutionibus deſtinatas. Certè ſi in aliquibus Monaſterijs hoc decretum, vel in diſuetudinem, vel in contemptum abierit, præſenti Conſtitutione renouamus, & mandamus fideliter obſeruari.

DECRETVM SECVNDVM.

Puellæ, quæ educationis cauſa intrà Monialium clauſtra commorantur, non permittantur alio indumento incedere,

dere, & multò minus procedere ad colloquutoria, & crates, quam habitu monachali veſtitæ. Si ſecus egerint, pœna excommunicationis ſit ipſis Puellis indicta, & Abbatiſſis, ſeù Magiſtris, quæ id permiſerint, pœna priuationis ab officio ſit ſtatuta. Eamdem pœnam multò magis incurrent tam Educandæ, quam earum Moderatrices, ſi ſuperfluo ornatu comptæ comparuerint, vel in capillamentis ſericis lemniſcis, & flocculis intertextis, vel in humeris non benè coopertis, vel in pigmentis, & fucis.

DECRETVM TERTIVM.

NE Monialium Confeſſarij à ſuo debito munere retardentur, & diſtrahantur à ſæcularium, præſertim Fœminarum confeſſionibus, amoueantur omninò confeſſionalia à Monialium Eccleſijs; ibique nullo modo audeant confeſſiones excipere, ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione miſſarum.

De Sacris Repræſentationibus.

QVamuis aliàs non raro, & inter primas in Prouinciali Synodo cautum fuerit, vt ſalutaris Paſſionis, ac Sanctorum myſteria, & actiones, nequè in ſacro, nequè in prophano loco repræſententur, nè, quæ pietatem mouere debent, potiùs riſum, & contemptum excitent; nihilominus abuſus nonnulli contrà hanc tam antiquam, quam iuſtam ſanctionem introducti conſpiciuntur, vt in ſcenam producantur, non ſolùm Sanctiſſimæ Virginis, aliorumquè Sanctorum, imò, & ipſius Chriſti Patientis Perſonæ inter ſe colloquentes, ſed inter ipſos Sanctos immiſceantur Scurræ, & vaniloqui Hyſtriones, qui iocoſis dicterijs, ad riſum prouocent Circumſtantes, omni poſthabita ratione decentiæ, & venerationis. Nos proindè hæc ſeueriſſimè prohibemus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ. Quod ſi aliquando (ſed admodū raro) in quibuſdam ſolùm caſibus à Nobis cum expreſſa licentia in ſcriptis obtenta, ſacræ repræſentationes permittentur, ſemper cautum ſit non licere inter Sanctorum colloquia confingere, & introducere huiuſmodi ſcurrilitates, ſub eadem pœna.

De Typographis, ſacrarumque imaginum Impreſſoribus.

DECRETVM PRIMVM.

IMaginum excudendarum, imprimendarumque debitus modus omninò obſeruandus eſt, iuxtà Sacros Canones, & Pontificum Conſtitutiones, ſiuè illæ ſint in fronte librorum præponendæ, ſiuè in ſeparatis folijs diſtribuendæ, aut venales exhibendæ. Hac de cauſa ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ mandamus, vt imagines Sanctorum, aut Sacrarum rerum in ramis inciſæ, aut in folijs impreſſæ non exponantur, aut publicentur, vbi nouum aliquod miraculum, aut ſimilequidpiam cõfingatur, ſinè reuiſione noſtri Miniſtri ad id munus deputatij, præſertim vbi oratiunculæ ſubiectæ legendæ ſint, aut vbi radij, laureolæ, aut inſignia, Sanctorum, vel Beatorum repreſentantur.

DECRETVM SECVNDVM.

HOrtamur enixè in vniuerſum non modo Typographos, & iconum Inciſores, verùm etiam Pictores, Sculptoreſquè, vt à laſciuis Antiquorum fabulis, picturiſquè turpiter exprimendis abſtineant, tam in telis, & tabulis, quam in quacumque alia fuſili materia. Mirum enim eſt quantum in his obſcænis aſpectibus irritantur oculi, & animi incautorum Hominum venenantur; & longè deteſtabilius hoc eſt, ſi abſquè debita decentia, atquè indumentis ſeminudis, ſimulentur Veteris Teſtamenti, vel Sanctarum Mulierum hiſtoriæ. Pro qua re recordandum eſt, quod ait D. Auguſtinus, non eſſe mentiendum in doctrina pietatis; magnum enim id ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis mendacij.

c. Perlatum di ſtinct. 3. de Cõſecrat.

c. Primum eſt, 2. q. 22.

DECRETVM TERTIVM.

TYpographorum in imprimendo, & Bibliopolarum in vendendo, numquam ſatis arguenda, atque damnanda eſt audacia, nec non auara libertas, quæ pedetentim in dies excreuit, vſquè ad magnam ſcandali occaſionem. Nouerint proindè Typographi ſtrictiſſimè, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis, & Pœnitentiarijs noſtris vnicè

re-

reſeruatæ, ijs inhiberi impreſſionem quamcumque non ſolùm librorũ prohibitorũ, aliorũquè omniũ, ſiuè de nouo excudẽdorũ, ſiuè alibi iam excuſorũ; ſed pariter vetitum eſſe ijſdẽ, typis mandare ſinè noſtra reuiſione, & facultate quæcumque alia parua ſolia, vbi hiſtoriolæ, cantiunculæ, oratiunculæ, ad metrum, & ſtrophes carmina diſtincta, vulgò *Sonetti*, *Madrigali*, *Canzoni*. epithalamia, Epinicia, & ſimilia ſexcenta, & multo magis Indulgentiæ, & preces, ſiuè nouæ, ſiuè ab alijs libris depromptæ continentur; exceptis breuibus quibuſdam Iuris allegationibus in iudicijs præſentandis, quas ad facilitatem Litigantium, & Iudicum, antiqua huius Regni conſuetudo, & Prædeceſſorum noſtrorum conniuentia tolerauit. Quod præceptum etiam tangit Bibliopolas, qui huiuſmodi folia tam indebitè impreſſa vendunt, non ſolùm in officinis, ſed in publicis plateis, aut ſiſtentes, aut excurrentes.

De Eleemoſynarijs, & Quæſtuantibus.

DECRETVM PRIMVM.

QVęſtorum eleemoſynariorum nomen, & abuſus, quæ adeò Tridentina Synodus abolenda mandauit, omni vigilantia cauendum eſt, nè ſenſim ſinè ſenſu introducantur in diæceſim noſtram, cum præſertim aliquandò pietatis ſpeciem, & indumenta conuerti contingat in lucra ab ijs, qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quę Ieſu Chriſti, iuxtà Pauli Apoſtoli effatum. Tollendi igitur omni niſu ſunt abuſus nonnullorum Laicorum, qui vel in proprijs veſtibus, vel ſaccis, aut albis induſiati, aut cucullo in capite cooperti, ſiuè cum burſis corporalium prò altaribus deſtinatis, vel ad earum ſimilitudinem conformatis, ſiuè cum capſulis, aut peris, aut alio quocunque modo per ciuitatem vicatim excurrunt, ad eleemoſynas petendas prò miſſis defunctorum, vel prò alia cauſa pia. Id omninò diſtrictè prohibemus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Nobiſquè reſeruatæ, etiam ſi in die ſolemnis Mortuorum celebritatis fiat. Quod expreſsè etiam, & particulariter pro tali die magis volumus cenſeri prohibitum, propter multa ſcandala, quæ orta iam ſunt, & oriri poſſunt tali occaſione in poſterùm. Inſuper ijſdem pœnis volumus cenſeri ſuppoſitos Eremitas, & quoſcumque alios Eleemoſynarios, qui ſinè licentia noſtra quæſtuari præſumpſerint; & tunc numquam tradita huiuſmodi li-

centia

centia cenſeatur ijs, quando pro quæſtu indulgentias; aut oratiunculas impreſſas diſtribuerint, vel publicauerint.

DECRETVM SECVNDVM.

CVm huiuſmodi abuſus cenſuerimus meritò eſſe abolendos pro viris, multò fortiùs eſſe abominādos in Fœminis iudicamus; audiuimus enim aliquandò Mulierculas pauperes extero habitu veſtitas, vel ſub prætextu conuerſionis ad Catholicam fidem, vel ſub alio colore eleemoſynas expoſcere per Eccleſias curſim cum ijſdem ſacrorum corporalium burſis, & non modica indecentia. Eas omninò eſſe eliminandas ab eccleſijs mandamus, eaſdemque excommunicationi latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ ipſo iure ſubijcimus.

DECRETVM TERTIVM.

SVb eadem pœna excommunicationis, vt ſuprà fulminatæ, præcipimus Fęminis, nè ipſæ, vel per ſe, vel per filias cuiuſcumquè ætatis ſint, aut per alias puellas, eleemoſynas mendicent prò emendis candelis, aut intortitijs prò adornandis altaribus, ſub quocunquè titulo, ſiuè prætextu, aut proceſſionum, aut cuiuſpiam alterius deuotionis publicè peragendæ.

De Iudicijs, & Crimine Falſi.

DECRETVM PRIMVM.

AD Litigantium calumnias coercendas, ſtatuimus, vt quotieſcumq; in curia noſtra Teſtium nominationem extrà Vrbem, & Diæceſim fieri contigerit; tales teſtes nominati non recipiantur, niſi facto prius depoſito ducatorum duodecim ab ijs, qui talia nomina produxerint, quod poſtmodum, iam ijſdem teſtibus ritè examinatis, reſtituatur, aliàs depoſitum ipſum cædat in pænam pijs locis ad noſtrum arbitrium applicandam.

DECRETVM SECVNDVM.

QVandoquidem ciuilia, & municipalia iura ad euitandas fraudes, quæ non rarò euenire ſolent, crimine falſi, & capitali pœna damnarunt, non ſolùm falſificantes bancharias

rias

rias ſyngraphas, verùm etiã illos, qui tales ſyngraphas quomocumque falſificatas detulerint ad publicos bancorum Officiales, licet actu pecuniam non exegerint, peruerſa hominum malitia excogitauit modum, quò putauit ſe impunè poſſe extrahere ab iiſdem Bancis pecuniam, ſi vtantur ope Clericorum Laici ad ſuas falſitates promouendas, & poſtmodùm, ſi voti compotes non fiant, ad eas ſpe immunitatis protegendas. Cum hoc ſcandali genus, & falſitatis crimen æquè ſit Laicis, ac Clericis abominabile, pari etiam ſeueritate, cum debita proportione, vindicandum eſt. Cum autem nulla adhuc fuerit certa pœna ſtatuta per Sacros Canones contrà Clericos, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas ſic delinquentes, hac Synodali conſtitutione pœnam triremium ad ſeptennium duraturam indicimus aduersùs ipſos, qui non ſolùm falſas huiuſmodi paginas, aut chyrographa confinxerint, aut quomodocumque bancharias ſyngraphas ſimulauerint, vel adulterauerint, ſed qui ſic ſimulatas, vel adulteratas dolosè præſentauerint, etiam non ſequuto effectu pecuniariæ exactionis.

DECRETVM TERTIVM.

AD non modicam Regni perniciem vergit tam crebra adulteratæ monetæ falſificatio, quam ſi meritò ciuiles leges rigoroſiſſimis, vſquè ad mortem, pœnis, puniri iubent, & Nos pariter ſpiritualibus armis, & iuſto diuini iudicij fulmine, pro publica indemnitate, & Iuſtitiæ tutela, putamus eſſe inſectandã. Propterea Falſarios monetarum, videlicet eos, vel qui monetas diminuerint, vel qui deteriori liga, aut ſinè legitimo Principis ſigillo impreſſerint, intrà diſtrictum noſtræ Diæceſis, ab Eccleſiæ conſortio repellimus, indicentes pœnam excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendam, quam nullus Confeſſarius abſoluere poſſit, niſi in mortis articulo, & quæ Nobis tantùm, & Pœnitentiarijs noſtris ſit reſeruata. Meminerint etiam Confeſſarij non eſſe illos vmquam abſoluendos, niſi impoſito onere reſtitutionis debitæ.

DECRETVM VLTIMVM.

PAlmarum benedictiones ab aliquibus Eccleſiarum Rectoribus, ſeù etiam Religionum Superioribus audiuimus celebrari in publica via, vna cum proceſſione, vel ad templi fores

fores extrà Eccleſiam. Cum autem id ſit contrà Eccleſiaſticas rubricas præcipientes tales benedictiones faciendas eſſe ad Altare, vbi Miſſa ſolemnis celebratur, id nullatenùs permittendum eſt, ideòquè prohibemus, etiam vt ſedis Apoſtolicæ Delegati ſub pœnis ad arbitrium iudicandis.

I. Card. Caracciolus Archiep.

597053

R. Biblioteca Nazionale V. E. III Napoli

527053